

1893

## H O M I L E T I C I.

1894

distinctus sequentia complectitur: I. *Sermones* sacros initio mutilatos; jam enim tertium folium numerum antiquum 160. praefert. De variis per annum Dominicis et Festis agunt, levis momenti, nulloque Autore, nisi quod *Sermo* p. 2. incipiens in illud: *Videbunt filium hominis venientem* &c. *Luc.* 21. inscribatur *Magistri Francisci de Marchia*, cui Franciscano *Picenati* nec *Waddingus*, nec *Fabricius* *Sermones* adtribuunt.

II. pag. 165. sequuntur breviculi *Sermones de Sanctis cum legenda et miracula*. Primus in illud: *Ave Maria gratia plena* &c.

III. pag. 207. *Meditatio beati bernardi*. Initium: *Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt* &c. Prout extat Edit. *Maur. Opp. T. V. col.* 319. inter Scripta dubia, et a nobis saepius relata est. Hic in *Articulos XIX.* distribuitur.

IV. pag. 229. *Sententiae multorum*. Puta *Patrum Gregorii, Bernardi, Augustini* &c. ad nullum certum scopum directae. Accedunt Adnotationes prolixiores de *pretiosa morte sanctorum, de quinque Modis Paupertatis, de septem Cameris inferni, de amore septiformi, de animalibus, de quatuor generibus lacrimarum* &c.

V. pag. 271. *De erroribus hereticorum*. Initium: *Audistis quia anticristus venit, nunc autem multi anticristi facti sunt*. Pag. 285. habes Autorem. *Ego autem frater Rinerus (Raynerus Sacconus) olim heresarcha nunc dei gratia sacerdos in ordine fratrum*

*predicatorum licet indignus dico indubitanter* &c. Egi de hoc *Opusculo Vol. I. P. 1. col.* 1079. et alias, ut *Index* docet. *Exemplum* praefens est ex auctis et interpolatis in *Germania*.

VI. pag. 314. *Allegaciones biblie cum tabula*. Dic *Exempla Virtutum et Vitiorum S. Scripturae Nic. de Hanapis O. P.* saepius jam utroque *Vol.* indicata, et hic Praefatione munita, quae incipit: *Tanta pollet excellentia predicationis officium* &c. Hanc excipit supra dicta *Tabula*, tum ipsum Opus: *Creatio rerum fuit ita mirabilis* &c. cui tamen extrema desunt.

## DCCXCII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 1127  
XIV. Folior. nunc 56. 4. min. partim per duas columnas, partim lineis longis, non una manu exaratus, rubricis distinctus et quondam Collegii S. J. Vienn. tria complectitur. I. breviculas, quas vocat, *Collationes*, five Argumenta sacrarum Dictionum in singulas Anni Dominicas, tum etiam in Festa SS. Ita statim *Dominica prima in Adventu* sic: *Induamur arma lucis*. Rom. *Expectantibus magne et desiderate persone adventum oportet considerare quantum ad se, ne preueniantur, quantum ad aduersarios, ne impediantur, quantum ad expectatum, ne ab eo contempnantur. Timentes preueniri solent stare induti, Timentes impediri solent stare ar-*

Deus Codd. Theol. V. II. P. III.

H

mati,

1895

C O D I C E S

1896

*mati, Timentes contempni solent stare ornati et parati, ut sint quasi lucidi. Non sane inepte.*

II. fol. 14. p. 2. *Incipiunt moralitates secundum ordinem alphabeti. Ita: Ambulatio. Sicut in corporali ambulatione sic et in spiritali oportet quod homo aduertat de via, de comitatu, de fine &c. Sequitur Amicicia, Aduentus, Aspicio, Aqua &c. ad numerum 145. brevium Documentorum, quorum postremum Vocare. Monent haec Figurarum, seu Moralitatum Biblic. Antonii de Rampigollis.*

III. fol. 26. *Incipiunt libri Biblie secundum Ordinem. Ponitur e quovis Libro locus, ex eoque breve Documentum eruitur. Ita: Genes. 18. Afferam paucillum aque et lauentur pedes vestri. et requiescite sub arbore — Sicut in corporalibus ita et in spiritalibus suo modo se inuicem consequuntur usus aque ad ablucionem et requies in loco apto et congrua cibi confortatio ac deinceps transitus ad alium locum. &c. Abrumpitur e vulvis membranis in Proverbiis.*

IV. fol. 30. *Incipit summa domini Berengarii Cardinalis Episcopi tusculani. Et domipape summi penitentiarii. Dedi ejusmodi Summam Vol. I. P. 3. col. 2507. At ejus initium erat: Imprimis debet interrogare sacerdos penitentem &c. Contra praesens ita ingreditur: Quoniam circa confessiones animarum pericula et difficultates sunt que emergunt, ad honorem beati nicholay ac fratrum utilitatem atque confitencium salutem*

*tractatum breuem de confessione compilauit sub certis titulis &c. Unum hic de tribus verum esse, oportet. Aut Librarii alterutri Summae falso Berengarii nomen praefixerunt, aut Berengarius duas Summas diversas edidit, aut una harum Summarum ad Berengarium Fredoli feniolem Ep. primum Biterrensem (Beziers) dein Tusculanum SS. Nerei et Achillei, mox Job. et Pauli Cardinalem pertinet, altera ad Berengarium juniorem prioris nepotem, Patruum tam in Cathedra Biterr. quam in SS. Nerei et Achillei Cardinalatu successorem, demum vero Ep. Portuenssem. Duos enim fuisse post Fel. Contelorum et Odor. Raynaldum agnovere Ughellus, et Galliae christ. Editores T. VI. coll. 341. et 45. Ne quid definiam, quamvis primum suspicer maxime motus mentione beati Nicolai et Fratrum, Literatorum silentium et Plurium Exemplarium inter se comparandorum defectus prohibet. Interim Nostrum in calce repetit: *Explicit summa domini berengarij &c. ut in titulo.**

Fol. 1. Codicis adscriptum est *Avendorov*, cujus facile oblitum sunt Evangelistae. *S. Petrus sedebat super lapidem marmoreum dolore dentium fatigatus. Veniens dominus noster Ihesus Christus dixit: O Petre! cur tristaris? Respondit Petrus et dixit: Domine, quia vermes deuorant mihi dentes meos. Respondit Ihesus et dixit: Coniuro vos, Vermes! ut discedatis et pereatis, et nec amplius famulis Dei in ullo noceatis in nomine p. et*

1897

H O M I L E T I C I.

1898

et f. et sp. s. Amen. Jungitur continuo Oratio ad D. Apolloniam. Haec quoque manu Sec. XIV.

## DCCXCIII.

R. 525 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 115. 4. minute perscriptus, multisque vocum compendiis *Sermones* in Festa Domini, B. V. M. et Sanctorum per anni circulum, five Schemata potius *Sermonum* continet, initio capto a die S. *Andrae* in hunc modum: *Vestigia eius secutus est pes meus. uiam eius custodiui et non declinaui ex ea. Job. XXIII. Tria sunt necessaria cuilibet uiro perfecto. Primum quod christum sequatur per bonam uitam. Secundum quod ipsam custodiat per finalem perseveranciam. Tertium quod ab ea nunquam declinet per aliquam culpam. Ista tria beatus andreas se fecisse gloriatur &c. Fol. 44. pro die Parasceves ita orditur Noster:*

*Pastor, arator, eques paui, seui, superavi  
Capras, rura, hostes, queque labore graui.  
De capris pastis, de rure sato, hoste subacto  
Nec lac, nec segetes, nec spolia ulla tuli.*

Additur hiuleis et mendosissimis versibus ad calcem *Historia Denariorum*, quibus venditus est Christus, quique ab *Affyrorum* Rege *Nino* cusi per varios casus tandem in agrum partim *Figuli*, partim in mercedem *Militum* sepulcri custodum cessere.

*Annunciate inter gentes studia eius. Ps. 9. Verba prophete alloquentis predicatorum ut adnuncient populis opera studiosa que hodie representat ecclesia. Primum quod campane non pulsantur ex eo, quod omnes campane hodie siluerunt. Christus enim habuit XII. apostolos quasi XII. campanas. sed una illarum scilicet iudas fracta fuit, quia suspensus crepuit medius. alia fuit grossa scilicet petrus, que semel tam altum sonum dedit, quod super angelos auditum fuit, quando dixit Math. XVI. Tu es christus filius dei &c. sed hodie sonum perdidit, quia christum confiteri ausus non fuit &c. Ita et Mariam et Christum campanas facit, huncque in crucem tanquam in campanile tollit. Fol. 111. p. 2. comminiscitur *Virgilium* circa finem vite sue 4 versus fecisse dolentem, se in tribus Operibus incassum laborasse, et en illos:*

## DCCXCIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3156 XIV. Folior. 96. 8. commode perscriptus, minio distinctus, in Theca anteriore ita praenotatur: *Hunc libellum testatus est Monasterio sancte dorothee wienne dominus Erhardus grutsch de marichbekg Confessor ad sanctum Jacobum, nempe Canoniarum Regular.*

H 2

lar.